



**H**uldricus natus est patre Vuilhelmo domino in Rupe spoletana, & matre Margaretha comitissa in Bütsch et Zuueybruck, anno 1495. Ab ijs parētibz Huldricus in omni genere uirtutum optimē educatus & liberaliter institutus fuit. Cum uerò adoleuisset, patris exemplo Cęsarıs Caroli castra secutus, Ticinensi pugnae magna gloria interfuit, atq; cum alijs Carolo insignem uictoriam cōparauit. Pari ratione in Gallia pro Cęsare arma circumtulit, & iuxta Masier suae fortitudinis documēta ostendit. Cum autem domum rediisset, Annam Alexandriam ex illustri familia comitum Fürstenbergiorum uxorem duxit, atq; à patre Vuilhelmo, rebus alijs per Alsatiam occupato, auitae ditioni praefectus fuit. Itaq; Huldricus res sibi à patre cōcreditas optimē administrauit, & omnibus subditis gratissimus extitit. arcem quoq; suam Gemer restaurauit, & pulchris aedificijs exornauit. Eo autem tempore Euangelij doctrina passim per Germaniam publicabatur. Vnde ipse libellos editos magna diligentia uel inuito patre legit, & rei ueritate intellecta approbauit. Cum hoc modo maximam sui spem omnibus praebuisset, anno aetatis tricelimosexto, salutis uerò 1531 immatura morte obiit, atq; Egenolpho filio relicto, magno omnium luctu sepultus fuit. Anon.